In nomine domini. Notum sit cunctis hominibus quod ego Bernardus de Madrona ob remedium
anime mee et pro amore dei offero me ipsum hospitali de Alfama in manu fratris Iohannis eiusdem
loci et temporis preceptoris et aliorum fratrum tam in vita quam in morte. ita quod si aliquo tempore
habitum religionis predicti hospitalis assumere voluero, recipiant me fratres benigne et in pa
ce cum centum morabetinis quos eidem hospitali caritatiue dabo de meis rebus. quos centum morabetinos
habeant fratres cum intrauero ut post mortem meam in rebus meis sedentibus et mouentibus que
et tempus in Borjalaroz et in suo termino habuero. Ego uero predictus Iohannes et fratres nostri Guillelmus
de Angularia et frater Guillelmus Borrel cum aliis fratribus recipimus te Bernardum in fratrem et in
socium et colligimus te in omnibus orationibus et beneficiis nostris participem in vita et in morte
tanquam unum ex fratribus nostris. Et ego B. de Madrona prenominatus conuenio deo et predicto hos
pitali et fratribus eiusdem presentibus et futuris fidelem esse in omnibus et per omnia. votum et precipies ut
qui successor meus erit in Borjalaroz paccet dictos c. morabetinos annuatim scilicet centum solidos donec
paccentur supradicto hospitali et fratribus suis. si non eos persoluerim de vita mea.
Quod est factum iii nonas Januarii anno domini millesimo CC octauo.
Signum Bernardi de Madrona. Signum fratris Iohannis preceptoris hospitalis de Al
fama. Signum fratris Guillelmi Borrel. Signum fratris Raimundi Bernardi de Pino.
Signum fratris Anfos de Saragoza. Signum fratris Arnaldi Estornel. nos omnes
qui hoc firmamus et concedimus testesque firmare rogamus. Signum Guillelmi de An
gularia fratris et sacerdotis. Signum Maciani Zabater fratris
Iohannis de Ager. Signum Petrus Ramon de Narbona qui fuit Gerre Marie Danau
qui huius rei sunt testes.

Signum Raimundi Scriptoris qui hoc scripsit sub die et anno prefixo.

2/23
1208-1-5

329

Año 1208.

Burjalaròz.